



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TEHUANTEPECENSIS (MIXEPOLITANAE)**

\*

EX DETRACTIS QUIBUS DAM TERRITORIIS A DIOECESI TEHUANTEPECENSI,  
IN MEXICO, NOVA PRAELATURA NULLIUS CONDITUR,  
«MIXEPOLITANA» APPELLANDA.

Sunt in Ecclesia, ut facili quidem coniectura prospicitur, nonnullae dioeceses ita territorio patentes, ut sapiens omnino sit cumque animorum bono consentaneum eas apte dividere novasque circumscriptiones condere. Quod cum fieri censuerit venerabilis Frater Aloisius Raimondi, Archiepiscopus titulo Tarsensis et in Mexicana Republica Apostolicus Delegatus, etiam ad Tehuantepecensem dioecesim quod attinet, idque ut ad effectum adduceretur ab Apostolica Sede enixe petierit, huiusmodi Nos negotium putantes ad res catholicas ibi terrarum fovendas maxime conducere, de suprema potestate Nostra acceptaque sententia venerabilis Fratris Iosephi de Iesu Alba Palacios, sacri Tehuantepecensis Praesul is, ea quae sequuntur decernimus et iubemus, eorum scilicet consensu suppleto qui hac in re aliquid iuris vel habeant vel se praesumant habere. A dioecesi Tehuantepecensi territorium separamus regionis, quam vulgo cives Mixes appellati incolunt, sequentia complectentis municipia: San Juan Juquila Mixes, San Pedro Ocotepec, San Miguel Quetzaltepec, Asunción Cacalotepec, Santa María Tepantlali, Totontepec Villa de Morelos, Santa María Tlahuitoltepec, Santa María Mixistlan, Espiritu Santo Tamazulapan, San Pedro y San Pablo Ayutla, Santo Domingo Tepuxtepec, San Lucas Camotlan, Santiago Ixcuintepec, San Juan Maztlan, Santiago Zacatepec, Santiago Cotzocon, praeter tamen terram huius municipii quae patet ad latus dexterum cuiusdam lineae quae ex loco vulgo Jaltepec de Candayó, in litore fluminis Jaltepec, pergit usque ad locum vulgo San Felipe Xihualtepec, prope ripam fluminis cui nomen La Trinidad; Santa María Alotepec, Santiago Atitlan, Santiago Choapan, San Juan Comaltepec, Santiago Yaveo, San Juan Petlapa, Santiago Jocotepec et San Juan Lalana, ex iisque novam praelaturam «nullius» constituimus, *Mixepolitanam* appellandam iisdemque circumscribendam finibus ac municipia quae diximus simul sumpta, cuius hi erunt fines: ad septemtrionem, archidioecesis Antequerensis et dioecesis Sancti Andreae de Tuxtla; ad orientem

solem, dioeceses Sancti Andreeae de Tuxtla et Tehuantepecensis; ad meridiem, dioecesis Tehuantepecensis; ad occasum denique solis, archidioecesis Antequerensis. Novae praelaturaे «nullius» sedes in urbe vulgo Ayutla erit, templumque praelaticum in sacra curiali aede ibidem exstante, Deo sacra in honorem Ss. Apostolorum Petri et Pauli. Sive scilicet templo congrua iura damus, sive Praelato Ordinario una cum iustis iuribus onera imponimus et obligationes, quae huiusmodi Praesulibus ex iure communi competit. Eandem praelaturam suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Antequerensi; item sacrorum Mixepolitanum Antistitem, Archiepiscopo Antequerensi. Curet novae conditae Ecclesiae Praelatus ut minus saltem Seminarium quam primum struat iis pueris accipiendis et efformandis, qui ad sacerdotium Dei instinctu vocentur. Quorum, cum adoleverint, in genio et animi virtutibus meliores deligat et Romam mittat, in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendos. Mensa praelaticia, quae dicitur, Curiae fiet emolumentis, fidelium sponte oblatis pecuniis bonisque ad normam Iuris Canonici Canonis 1500 Sedi Mixepolitanae obvenientibus. Quod insuper spectat praelaturaे regimen et administrationem, Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem idque genus alia, secundum ecclesiasticas leges temperentur. Acta denique et documenta, quae novam praelaturam respiciunt, clericos, fideles bonaque temporalia, ab episcopali Curia Tehuantepecensi ad praelaticiam Mixepolitanam transferantur, ibique in tabulario apte religioseque custodianter. Simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum adductae fuerint, eo ipso sacerdotes ei Ecclesiae addicantur adscripti in cuius territorio beneficium aut officium legitime habeant; ceteri sacerdotes, clerici atque Seminarii alumni ei, in qua legitime degant. Haec omnia perficienda curet venerabilis Frater Aloisius Raimondi, quem diximus, vel ab eo delegatus vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero rem perfecerit, congrua documenta exarari iubeat et ad Sacram Congregationem Consistorialeм quam primum mitti.

Hanc autem Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus, contrariis minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.*

IACOBUS A. Card. COPELLO  
S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI  
*S. Congr. Consistorialis a Secretis*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Franciscus Hannibal Ferretti, Protonot. Apost. Decanus*

*Caesar Federici, Proton.*

*Apost.*

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana